



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.23. S. Joannes Climacus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](#)

## §. XXIII.

Sæculum VI.  
A. C. 573.

## S. Joannes Climacus.

Postquam Gregorius discessisset, Joannes

Climacus Montis *Sina* Abbas fuit,  
quamvis non constet, an eidem proxime  
in Regimine secutus fuerit, vel aliquis  
alius intercesserit. Climacus annos na-  
tus sexdecim ad istud Monasterium ve-  
nit, sed non nisi post annos quatuor Ton-  
suram Monasticam recepit, seque ad sta-  
bilitatem obstrinxit. Primo Magistrum  
habuit Monachum nomine Martyrium,  
quo defuncto, solus infra montem in  
Cella, quæ Tola dicebatur, habitans vi-  
tam Anachoreticam duxit. Postea quem-  
dam Monachum, nomine Moysen, con-  
tubernalem admisit. Cum invidi de  
Climaco dixissent, eum inutilia garrire,  
& seria negligere, calumniam silentio  
refutavit, per annum integrum nulli ho-  
minum loquens. Postquam annis qua-  
draginta vixisset in solitudine, Abbas  
Montis *Sina* invitus eligitur.

S. Joannes Climacus a Joanne Abba-  
te Raitheno rogatus, ut Tractatum Asce-  
ticum ad usum Monachorum scriberet,  
composuit suam *ad Cælum Scalam*, Opus  
inter Libros pios celeberrimum, unde e-  
tiam Cognomentum Climaci nactus est,  
nam *Climax* Græce Scalam significat.  
Constat hæc Scala triginta gradibus, qui

E 4                    totum

Sæculum VI. totum vitæ interioris profectum a prima  
A.C. 573. Mundi fuga usque ad Orationis genus  
 sublimissimum, & perfectissimam Animæ  
 tranquillitatem complectitur. Ubi lo-  
 quitur de Obedientia, exempla narrat,  
 quæ ipse in quodam Monasterio trecen-  
 torum triginta Monachorum sub Abbatे  
 consummatæ prudentiæ viro in Ægypto  
 prope Alexandriam viderat, & admira-  
 tus fuerat. In illo Asceterio videre e-  
 rat senes post quadraginta aut quinqua-  
 ginta a tempore Professionis suæ annos  
 simplicitate, qua infantes solent, Præpo-  
 sitis suis obedire. Cavillationes, disce-  
 ptationes, sermones inutiles inde procul  
 amandati. Abbas sæpe summæ perfe-  
 ctionis viros castigabat nulla alia de cau-  
 sa, quam ut in patientia & obedientia  
 exercitarentur, in virtutum semita pro-  
 gredierentur, & alii eorum exemplo do-  
 cerentur.

## §. XXIV.

*Pœnitentium carcer.*

**U**no ab illo Monasterio Milliario erat  
 aliud & minus, quod carcer diceba-  
 tur, in quem Monachi majoris Monaste-  
 rii ultro migrabant, si post suam Profes-  
 sionem graviore culpa se illigassent. E-  
 rat hic locus horridus, caliginosus, lu-  
 ridus, squalidus. Omnia tristitiam &  
 pœnitentiam inspirabant. Nunquam  
 ibi